



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Senectus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

nulli dubium erit, quin flos sit futuri boni prænunciatus, & frogem paulo post succrescentem polliceatur: nam & Themistius jucundissimam & floris speciem fructuum prænunciam esse dicit.

JUVENTUS. CAP. XXIV.

*juventus
spei semper
plena.
Hinc Virg.
de obitu
Mæc. ju-
ventem flo-
rentem. O-
vi. 3. Amor
viridem di-
xere. & Che-
rea in Eu-
nuchio, pu-
ellam 15.
annorum
florem vo-
cat.*

Ad hæc flos omnis juventutis habetur hieroglyphicum; juvenus autem omnis semper spei plena, cum senectus contra omnia desperet: sive hoc accidit juvenibus ex exiguo rerum usu, senibus vero ex irrita multorum votorum experientia: sive quia juvenes natura vegetiore, quæ cupiunt ardentius futura etiam sibi proponunt, spemque impendio pascunt, senes de bilitate confecti, præ timore etiam cum asecuti sunt, diffidere videntur, ideoque bonis minus gaudent. Alii dicunt æquius ideo sperare juvenes quam timere, quia spes est de futuro tempore: in senibus autem multa memoria residet, ac earum præcipue, quæ spem plurimam eludere, tum autem memoria ipsa spe quodammodo contraria constituitur.

SENECTUS. CAP. XXV.

*Senectus
in Eusebio,
puellam 15.
annorum
florem vo-
cat.*

Porro senectus, quæ sese hic obtulit facit ut ad amygdalam rursus revertamur, ejus siquidem hieroglyphicum in Divinis literis accipitur pro Canitie, quæ manifestum est senectutis indicium. Amygdala autem potius quam alia quæpiam ex plantis, quia, ut etiam ex Maronis descriptione vidimus, arbor nulla densiorem florum ubertatem reddit quam Amygdala. Locus autem est in hanc sententiam apud Salomonem ad calcem Ecclesiastæ: *Florebit Amygdalum, & pinguescet locusta, & dissipabitur capparitis, atque hæc incipientibus, hominem in domum eternitatis sua profecturo.* hoc est, ut apud Eucherium, canescet homo, tumbent pedes, & concupiscentia frigeſcet: nam hæc plurimum homini in postremo vitæ tempore accidere consueverunt, ut inde in terram, quasi in eternitatis suæ domum redeat. Proculdubio autem indicium appropinquantis mortis est, cum canis caput albicat capillis. Mitto illud quod D. Hieronymus notat, quosdam interpretari per amygdali florem sacram spinam, quod decreſcentibus natium carnibus spina succrescat, & floreat: nam hoc & illud senii est.

CONTINENTIÆ FRUCTUS. CAP. XXVI.

Apud Hieremiam primo capite, ubi se is virgam vigilantem videre aserit, Theodotio reddit amygdalinam. Unde colligitur, amygdalum castioris hieroglyphicum esse temperantia: nec enim eam videmus amarissimum habere putaminis corticem, testaque lignea, eaque durissima cingi, amaritie corticis difficultatem indicante, integumentum duritia virtutem ipsam: fieri autem ut cum putamina illa & amara & dura summo veris, fructu fruere suavi admodum & delicato. Sic continentia castigata que custodia, amara primum videtur, perdifficilis, & ab omni delectatione remotissima, sed ex qua fructum colligas ducissimum suavissimum que: ait enim Hesiodus, virtutis radices amaras esse, fructus vero suavissimos.

DE NUCE JUGLANDE.

NUPTIÆ. CAP. XXVII.

*Plin. lib.
15. cap. 22.
h. e. Eccl. 8.*

Ab amygdalo ad nucem juglandem transire non incongruum, cujus est hieroglyphicum ut nuptias præ se terat. Credidere multi, ait Plinius, quia nuce cadendo tripudium sonumque faciunt: qua de causa dictum illud. *Sparge marito nuce.* Sed verisimilior causa est, quam ipse comminiscitur; ob integumentum duplex, pulvinati primum calicis, mox lignei putaminis, quali propemodum operimento fetus muniuntur.

CAPPARIS. CAP. XXVIII.

*Capparitis
Hebraicè
Aion.*

Ut vero & Capparim absolvamus, super eo multa & varia tam Hebraici interpretes, quam Latini & Græci commenti sunt, dum Hebraicam vocem, quam nos Capparim dicimus, illi AYIONA, modo amorem, modo desiderium, modo concupiscentiam, & his similia elocutionibus suis circumscribunt. Sed qui diebus nostris scripsere Capparim libidinem perfrigerare, hoc loco, teste eo, dece-
pti vi.